

Memorabili exemplo filium Albertum ab impari matrimonio abstraxit Ernestus, Sponsa eius, Chirurghi filia, quae Bauariae ducissam se scribebat, ultimo capitis supplicio suffocata Straubingae. Trithemius facinus improbat, quod iuuenicula innocens fuerit; quod multi nobilissimi reges ex humiliore ciuium genere sine confusione uxores desumpsissent. Sed Adelzreiterus tergemino scelere eandem peccasse scribit, nupsisse toto coelo impari. Auentinus lepidam tragoediam dicit; quod pater occisae puellae sacellum postea exstruxerit, manibus eius expiandis (*).

§. XVII. ALBERTVS, vnicus defuncti parentis heres, sequitur, pius cognomento. Qui enim amando peccant, raro faeuiunt aut ditescunt de alieno. Elogio hoc dignus videtur, quod magna animi moderatione Bohemiae regnum, a proceribus oblatum, recusarit, m. 1406.

Causae oblatae regni post mortem Alberti II. (Lib. I.) quod a) puerum nollent ordines Ladislaum, b) Albertus callens esset Linguae Bohemicae, c) vicinus, d) moderatus princeps, e) neque Austriacis addictus. Dolent aliqui, optatissimam, gentem extollendi, occasionem ab hoc principe neglectam fuisse.

§. XVIII. Quamuis Albertus numerosam prolem reliquisset; edicto tamen supremae voluntatis sanxit, vt vnicus esset suarum ditionum dominatus. Sic tamen, vt duo maiores natu communi iure ac nomine Boicam administrarent. Fuerunt hi IOHANNES & SIGISMUNDVS, quos pater in societatem curarum viuus adsumferat. Sed ille triennio post, quam mortuus fuerat parens, an. 1463. obiit: hic in fratris ALBERTI, cognomento sapientis, manus 1465. Boici imperii fasces viuus tradidit. Has soli Alberto relinquere nolebant fratres eius natu minores

falluntur. Contra enim docent diplomata vetustissima, in quibus Boioariae duces *Dei gratia* verbis vtuntur. Exempli loco esse possunt illa, quae exhibet *Chronicon Reichersbergense ad an. 1141. p. 174. Ego Luitpoldus, dux Boioariorum Dei gratia* cetera. Symbolum certe hoc est omnibus archiprincipatibus commune post Carolingos.

(*) Vtuntur hoc exemplo scriptores Icti in principum aestimandis imparis sortis connubiis *ARNISAEVS lib. 2. de republ. c. 2. sect. 13. n. 12. NIC. MYLERVS AB EHRENBACH in gamologia cap. 24. §. 4. p. 518.*